



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Michaelis Campvs, Germanice Michelsfeld/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

*Mauri hæc sacra domus, Leobardi Abbatis in isto
 Temporibus priscis Cella vocata loco,
 Regibus à claris Gallorum est condita, Petri
 Quando Gregorius in sede sedebat orans.
 Qui magni vulgo nomen laudesq; meretur:
 Hoc nos sic equidem pagina prisca docet.
 Si queris, quæ sint istorum nomina regum,
 Adverte, & vere id me recitante scies.
 Theodobertus erat primus, Clotharius alter,
 At Dagonbertus tertius ille fuit.
 Qui variis posuit donaria plurima templis,
 Præcipueq; fuit religionis amans.
 Quartus erat Mediomatricum ad prisca sepultus
 Mœnia Sigbertus sub pede, Quinte, tuo.
 Quintus Theodericus amans pietatis, a vito
 Huic dedit & sacro plurima dona lari.
 Istorum meritis pietatis sacra vigeant
 Hic studia, & quicquid tota sophia docet,
 Sub doctis Abbatibus & rectoribus, isto
 Quorum corpora sunt condita sacra loco.
 Indigno donec fato gens rustica nuper
 In Dominos morvit bella cruenta suos.
 Tum Gaspare Rudigero me hæc regna tenente,
 Vastata est iris tristibus ista domus.
 Pulsus ego externas procul hinc crudeliter oras
 Evasi furias vix, mala turba, tuas.
 At fractis illis, iterum ad mea tecta cucurri,
 Atq; inflauravi numine cuncta novo.
 Tu pater alme, Deus, cœli qui templa gubernas,
 A simili posthac protege clade tuos.*

Mons S.
 Quinti
 prope
 Metin,
 ad cuius
 pedem est
 Cenobium
 S. Marti-
 ni, funda-
 tum à Si-
 geberto
 Austrasie
 Rege illic
 sepulto.

MICHAELIS CAMPVS, Germanice Michelsfeld/claris-
 simum Benedictinorum generis nobilitate conspicuorum
 cenobium, circa Pegnesum amnem prope Awerbachium Pala-
 tinorum in Nariscis oppidum situm, quod uno eodem constan-
 tissimo

tissimo muro, amplissimisque duabus fossis & turribus decem instar oppidi egregie communitum, & in concursu duorum pisculentissimorum fluviorum, Steinwasseri & Speccii infra cœnobium concurrentium & in Pegnesum decidentium, amœnissimo loco constructum est, fundatum legitur in honorem S. Joannis Apostoli & Evangelistæ pro Nobilibus viris pietatis ac literarum desiderio flagrantibus annum Christi circiter 1119. ab Othone, generoso Comite de Andechs, Bertholdi Comitis filio, Henrici V. Rom. regis facellano, octavo Episcopo Bambergensi: qui Pomeranorum Apostolus appellatus est, quod ipse primus Pomeranos in fide Catholica & Christiana imbuerit ac Episcopatum ibi Julinensem instituerit: & ab alio quodam terræ Narischorum regulo, Beringero vel Beringario, Comite de Sultzbach, qui juxta sequentis privilegii tenorem plurimos pagos ad monasticæ hujus congregationis sustentationem contulit.

In nomine S. & individuae Trinitatis, Otto divina favente clementia octavus sanctæ Bambergensis Ecclesiæ Episcopus. Noverit Christi fidelium universitas tam præsentis ævi, quam etiam futuri, monasterium S. Joannis Evangelistæ in loco quidem Michesfeld nostro opere nostroque studio esse constructum. Recognoscant etiam tam præsentis quam futuri, quibus bonis ipsum locum cumulaverimus, de quibus possessionibus fratribus illic in servitio Dei excubantibus subsidia temporalis vitæ procuravimus, ut, dum hujus veritatis testimonium multos assertores, multos testes habuerit, quæ à nostra humilitate statuta sunt, jugiter inconvulsa permaneant. Sciant etiam omnes, quod ipse locus, in quo monasterium constructum est, cum esset mansus ad jus nemoris pertinens, alio manso in Rifeha, Episcopatu restitutus est. Per ambitum quidem monasterii lata spacia agrorum, pratorum, sed & nemoris partem usque ad viam meridiana, quæ in transversu silvæ porrecta est & in occidentali ponte apud Seepergk terminatur, ad ipsum monasterium tradidimus & in hoc quieti monachorum consulentes. Prævidimus enim inevitabile, ut vicinorum querulosis litibus non gravarentur, si eorum possessiones alienis possessionibus artarentur. Præ-

Qq 2

terea

Otto,
Pomeranorum
Apostolus
& Episcopus
Julinensis
illic fundator.

Seepergk.

terea de jure nemoris, vel ad Episcopatum pertinentis, volente & rogante Comite Beringero, cum conniventia primatus cleri & populi Babenbergensis Ecclesiæ, in usus monasterii & monachorum tanquam privilegio beneficii hæc transtulimus: in præterfluente fluvio, qui dicitur Begentz ab ejusdem nominis villa, usque ad rupem, quæ dicitur Gotzenstein, piscationem propriam monasterio largiti sumus. Pascua animalium infra semitam, quæ à villa Begentz directa viam contingit ducentem in Velden à supradicto ponte, concessione nostra libere ceduntur ligna ad ædificiorum cellæ usum, sparsim tamen & ubi custodes nemoris monuerint. Ad focum vero ligna, quæ fabrilibus operibus apta non sunt, ubique potuerint inveniri, nisi in locis condensioribus & latibulis ferarum, faciendis quoque alveolis apum ubique in nemore largam licentiam dedimus. Villæ autem, quas ipsi monasterio contulimus, istæ sunt: ipsa villa Michelsfeld, Heroltsreut, Nusehe, Ruchendorff, Widelunpach, Willeberg: item, Churbendorff ex parte, Buchenbach cum parochia, Witenloch, Reikersperg, Birche ex parte, Schonevelt, Bucha ex parte, Penhenreut cum Risahæ Huvenstein, qui & Gernotenstein dicitur, Sigehartisreut, Urbach, Weluch, Pilsenstein, Lutzenbuche, Ebersperg, Friderichsreut, Bernhartsreut, Sumerhauen, Hamegast, Hophenalte ex parte, Frankenalte, Curchendorff ex parte: item, aliud Kirchendorff ex parte, Artolfelbrunnen, Hagenach, Godesendorff, Steinegewasser ex parte, Rachenberg, Czimerberg, Igelsreut, Plech, Toberin, Punreut, Gotzemsberg, Pernbach, Grune, prædium Henfenveld, & parochiam cum fundo & omnibus pertinentibus suis, Schwaigoltesreut ex parte, Ortenberg, Snelhartesdorff, Welmesgefehies. Delegavit autem eas super altare sancti Joannis vir illustrissimus, Comes Berengerus, quem ejusdem loci advocatum constituera-
mus. Affuerunt autem testes horum omnium Burco de Culmen, Meinhart de Parchstein, Wigandus Uderscalch, Wiento de Wolfringen, Wigandus de Wolfespach & fratres ejus Rapoto & Bruno, Merpoto & Eppo de Ebermannesdorff, Rupertus de Bibra, Engelmar de Vogelspach, & Adelbero frater ejus,
Poppo

Begentz.
Welden.

Reut;
Riet;
Rode dicuntur
Germanis
plerumque
illa loca,
que prius
silvestria
postea in
agros con-
versa sunt
quorum
magna est
in Germa-
nia olim
plane sil-
vestri mul-
titudine.

Poppo de Schonevelt, Baldewin de Kestelbach, Erckenbertus de Tennelberg & fratres ejus Poppo & Reinoldus, Volcholdus de Gelhendorff, Hertvinck de Bernreuth, Rupertus de Stein, Marquart de Guntzendorff, Roho frater Ruperti, &c. Verò hæc & alia, quæ ipsi monasterio vel per nos collata sunt, vel postmodum à fidelibus Christi conferenda erunt, auctoritate tam Apostolica quam Regia, cum privilegio per nostram solertiam dato rata sint, ita, ut si quis eorum injusta usurpatione quicquam Ecclesiæ furripuerit, vel privilegia immutaverit, æterno anathemate percutiatur & majestatis reus habeatur: sigilli nostri impressione hanc chartam de his omnibus conscriptam signamus, ut in ævum statuta nostra Domino favente corroboremus. Anno Dominicæ Incarnationis MC XIX. Indict. xij. ij. Nonarum Maij actum feliciter, Amen. Catalogus ejusdem loci Abbatum talis à me in hoc cœnobio collectus est.

Catalogus Abbatum.

1. *Imbrius* eligitur anno 1119. Præfuit duobus annis & obiit anno Christi 1121.

2. *Hartungus* præfuit annis 13. Obiit anno 1134.

3. *Adelbertus* successit Hartungo. Præfuit annis undecim.

Is forum quietis causa transfulit in Urbach, & ibi expensis suis & fratrum extruxit ligneum templum. Obiit anno Domini 1145.

4. *Gosbertus* obiit anno 1159. cum sedisset annis 14.

5. *Arnoldus* sedit annis octo. Obiit anno 1167.

6. *Francho* præfuit annis sex. Obiit anno 1173.

7. *Conradus* obiit anno 1186. cum præfuisset annis 13.

8. *Adalbertus* anno 1196. ex hac vita decessit, cum rerum potitus esset annis 10.

9. *Leopoldus* præfuit 13. annis & obiit anno 1209.

10. *Volnandus* sedit ad clavum annis 21. Ambulavit viam universæ carnis anno 1230.

11. *Conradus* præfuit 14. annis. Obiit anno 1244.

12. *Henricus* 21. annis præfuit & profuit. Decessit año 1265.

13. *Hermannus* præfuit 15. annis. Obiit 1280.

14. *Bertholdus* successit Hermannò. Exiit hominem anno 1293. cum 13. annis præfuisset.

Qq 3

15. *Raba-*

Chronologia
 monasterio
 1119
 1121
 1134
 1145
 1159
 1167
 1173
 1186
 1196
 1209
 1230
 1244
 1265
 1280
 1293
 15. Raba-

15. *Rabanus* præfuit 23. annis. Obiit anno 1316.
 16. *Henricus de Mech* præfuit 16. annis. Obiit anno 1332.
 17. *Marquardus* præfuit annis 16. Obiit anno 1348.
 18. *Nicolaus* obiit anno 1366. cum præfuiſſet annis 18.
 19. *Theodericus Zuudemreuter*, vir nobilis, 24. annis laudabiliter præfuit. Obiit anno 1390.

20. *Henricus à Druppach* obiit anno 1411. cum ſediſſet ad clavum commiſſæ ſibi Abbatæ annis 21. Sub ejus gubernatione vaſtatum ac direptum eſt ab *Huſſitis* cœnobium anno Domini cæ Incarnationis 1420.

21. *Hartungus Pfersfelder* laudabiliter præfuit añis 39. Et anno 1450. Bambergam ad gubernationem Montis monachorum evocatur.

22. *Petrus à Thondorff* eligitur anno 1452. poſt reſignationem *Pfersfelder*. Præfuit undecim annis & obiit anno 1463.

23. *Wernberus Lochner* ſucceſſit Petro anno 1463. Præfuit 31. annis. Sub hoc abbate confirmata ſunt omnia privilegia monaſterii *Michelfeldensis* à Divo *Friderico Imp. Rom.* anno *Chriſti* 1464. *Neoftadii*. Et poſtea etiam à Divo *Maximiliano Imp.* Deceſſit anno 1494.

24. *Fridericus Trauttenberger* conſtituitur anno 1494. Præfuit 16. annis. Obiit anno 1510.

25. *Bartholomæus Sturmer* ſucceſſit *Friderico*. Præfuit 19. annis. Obiit anno 1529. in vigilia *D. Gregorii* apud *Schnaitachium*, marcã tribus lapidibus à *Noriberga* ſub *Rubei montis* ampliffima confœderatorum Germaniæ Nobilium arce ſitam.

26. *Quirinus à Gich*, die Martis poſt *D. Gregorii* feſtum electus eſt. Fuerat antea adminiſtrator apud *Endisdorffum*, cœnobium *Benedictinorum* ad *Vilſum* annem ſitam. Obiit anno Domini 1546. cum præfuiſſet laudabiliter 16. annis & menſibus decem. Hujus tumulum à germano ejus fratre *Sebaſtiano* exortuſtali ego honoravi epitaphio elegiaco :

*Hic jaceoꝝ cuboꝝ loci hujus rector & Abbas,
 Non vana ornatus laude Quirinus ego.*

Schnaitach bodie Schnaitach.

Endisdorffum Cœnobium.

Endis-

*Endesdorffensis quoq; cœnobii Pater olim,
Gloria Gichanæ non moritura domus.
Gratia Christe tibi, quod me tui in agnitionem
Duxeris & dederis cœlica regna mihi.*

27. *Fridericus ab Auffses* eligitur anno 1546. Præest adhuc
currente hoc Jubilæo, vir literis & pietate conspicuus. Habuit
germanum fratrem, Gasparem de Auffses, in Rubei collis exi- *Cass. de*
gua arce ad Wismadum amnem supra Ebermanstadium, Episco- *Auffses.*
pi Bambergensis oppidum habitantem, virum eximie doctum &
pium, qui Romæ & in aliis Italiæ urbibus studiorum ergo diu
versatus, omnes Italiæ Bibliothecas summo studio perlustravit,
& quæ propria manu ex ipsis transcripsit, mihi multoties osten-
dit. Huic pro suis officiis, pro sua incredibili erga me benevo-
lencia, ego gratitudinis ergo tale posui epitaphion in Silvarum
mearum libro XVIII.

*Nobilis & genere & doctrina Gaspar ab Auffses,
Germanæ eximius nobilitatis honos,
Qui Romæ quondam studuit vixitq; latine
Ac didicit lingue divitis omne decus,
In patriamq; reversus, ibi populosq; patresq;
Babenberga, pio rexit amore tuos.
In propriam egrotus donec concederet arcem,
Voluit ubi varios nocte dieq; libros.
Ex quibus & Christum didicit cognoscere vere,
Quicquid & eximii tota sopia tenet.
Ejus in hoc tumultu corpus requiescit honestum,
Quem fieri dudum fecerat ipse sibi.
Mens generosa, Deiq; timens atq; omnium amatrix
Virtutum, patris vivit in arce Dei.
Fama viri docti nullis delebitur annis,
Quæ toti huic genti conferet omne decus.*

Extra Michelsfeldensis cœnobii muros est trans Steinwasse-
rium rivum colliculus cum vetusto fano S. Nicolai, in quo anti-
quitus & à prima cœnobii fundatione moniales Benedictinæ pro-
fessionis vixitarunt. Hæ postea reformatæ Babenbergam in
S. Theo-

S. Theodoræ cœnobium translatae sunt. In ea ipsa vicinia est moledinariii saxi egregius scopulus, in quo mirabiles & amplæ videntur cavernæ, è quarum regione sunt etiam alia similia saxa S. Theodorici & S. Wolfgangi mirabilibus cavernis plena.



MONS MONACHORUM, *Münchsberg*/ amplissima atque moenissimaq; extra muros Bambergensis civitatis sita Abbatia, monachorum Benedictinæ sectæ seu professionis, fundatur annum Christi circiter 1008. in honorem S. Michaelis Archangeli, unâ cum ipso fere Episcopatu Bambergensi à S. Henrico Imperatore Claudio, ejusque conthorali Sancta Chunigunde Palatinissâ & Imperatrice. Is Henricus Imperator, hujus nominis secundus, ac primus, qui ab Officialibus seu Electoribus Imperii in Regem Romanorum electus est, in Norico natus legitur patre Henrico, inclyto Bavarorum ac Norici Duce, qui, diminuta voce per tapinosin quandam *Hezelimus* dictus, anno Domini 1001. inter mortales esse desit, Ratisbonæ ad S. Emeranum cum tali epitaphio sepultus.

*Henrici
II. Pater.*

*Henricus Regis Pater, est defensor legis,
Bavariæ cultus, pius est dux ille sepultus.*

*Claudus
unde factus sit
Henricus II.*

Ratio vero fundati hujus cœnobii hæc Imperatori Henrico fuisse perhibetur. Ajunt illi in secretiori quodam sacello devotius aliquando oranti apparuisse Michaelem Archangelum, qui femur Regis tangens (unde claudus factus esse legitur, qui rectus prius incefferat) Evangelicumq; codicem osculandum ei porrigens, in hæc verba eum consolatus sit: *Ne timeas, electe Dei, velociter surge atq; hoc signum pacis divinitus tibi transmissum suscipe, Deiq; cultum strenue propagare perge.* Postea ex Apulia in Germaniam (feliciter ibi confecto bello) redeunti & apud Cassinense monasterium gravius ex calculo decumbenti Deoq; precibus iterum vehementer instanti S. Benedictus per quietem oblatus dicitur, qui, exciso sine doloribus calculo vulnerisque hiatu pulchre sanato, optimæ valetudini Regem feliciter restituit. His miraculis Regem motum, cum Bambergam redisset, in memoriam

*Calculi
cura mirabilis.*